

www.e-rara.ch

Ciceronianus. Ioan. Thomae Freigii

Freig, Johannes Thomas

Basileae, [1575]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-147725>

Liber VI. De Affectibus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

— Bonus: horridu' miles amatur

Vestrum uero' studium totum iacet.

Non ex iure manu cōsertum, sed magis ferro (inquit)

Rem repetunt —

Quod si ita est, cedat opinor forum castris: otium militiæ: stylus gladio: umbra soli: sic denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa est ciuitas omnium princeps. Atq; hæc de habitibus intellectus, hoc est, de Artibus: sequuntur habitus uoluntatis.

LIBER VI. DE AFFECTIBVS.



HABITVS uoluntatis sunt ipse Virtutes & his contraria uitia. Sed eorum nobis considerata est & Materia & Forma. Materia uirtutum & uitiatorum sunt ipsi affectus, qui & cupiditatis & perturbationum & appetitus nomine, à nostris etiam Concupiscentiæ appellatione continentur. Græci *πάθη* & *ὀρμῆς* appellāt. Nam, ut primo Offic. est, duplex est uis animorum atq; naturæ. Vna pars in appetitu posita est, quæ est *ὀρμή* Græcè, quæ hominē huc & illuc rapit. Altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendum uē sit. In his itaque Affectibus

q s præci.

præcipuum est ut obediant rationi: Præcla-
 re enim eodē libro dicitur RATIO PRÆ-
 SIT, APPETITVS VERO OBTEMPE-
 RET. Efficiendum itaq; est ut appetitus ra-
 tioni obediant, eamq; necq; præcurrant, nec
 propter temeritatem, nec propter pigriti-
 am, aut ignauiam deserant: sintq; tranquil-
 li, atq; omni perturbatione animi careant,
 ex quo elucebit omnis constātia, omnisq;
 moderatio. Nam qui appetitus longius e-
 uagantur & tãquam exultantes siue cupi-
 endo siue fugiendo, non satis à ratione reti-
 nentur, hi sine dubio finem & modū tran-
 seunt. Relinquunt enim & abijciunt obe-
 dientiam, nec rationi parent, cui sunt sub-
 iecti lege naturæ, à quibus non modo ani-
 mi perturbantur, sed etiam corpora. Licet
 ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui
 aut libidine aliqua, aut metu cōmoti sunt,
 aut uoluptate nimia gestuunt: quorum o-
 mnium uultus, uoces, motus, statusq; mu-
 tantur. Ex quibus illud intelligitur, appe-
 titus omnes contrahendos, sedandosque:
 excitandamq; esse animaduersionem & di-
 ligētiam ut ne quid temerè ac fortuito, in-
 consideratè negligenterq; agamus. Nam,
 ut i. de Finibus est, Cupiditates sunt insa-
 riabiles, quæ nō modo singulos homines,
 sed uniuersas familias euertūt. Totā enim
 labe-

labefactant Remp. Ex cupiditatibus odia,
 dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascun-
 tur. Nec hæ sese foris solum iactant, nec tan-
 tum in alios cæco impetu incurrunt, sed in-
 tus etiam animis inclusæ inter se dissident
 atq; discordant. Itaq; domina omnium &
 regina ratio est (ut est 2. Tuscul.) qui conne-
 xa per se & progressa longius, fit perfecta
 uirtus. Hæc ut imperet illi parti animi que
 obedire debet id uidendum est uiro: uelut
 seruo dominus, uelut imperator militi, ue-
 lut parens filio. Peripatetico autem (ut est
 4. Tuscul.) perturbationes istas, quas Stoi-
 ci extirpandas putant, non modo natura-
 les esse dicunt, sed etiam utiliter à natura da-
 tas: quorum est talis oratio. Primum mul-
 tis uerbis iracundiam laudant: cotem for-
 titudinis esse dicunt, multoq; & in hostem
 & in improbum ciuem uehemētiores ira-
 torum impetus esse. Nec uerò de bellatori-
 bus solum disputant: imperia seueriora nul-
 la esse putant sine aliqua acerbitate iracun-
 diæ. Oratorem deniq; non modo accusan-
 tem, sed ne defendentem quidem probant
 sine aculeis iracundiæ. Virum denique ui-
 deri negant, qui irasci nesciat: eamq; quam
 lenitatem nos dicimus, uitioso lentitudi-
 nis nomine appellat. Nec uerò solum iram
 laudat, sed illud ipsum genus uel libidinis
 uel

uel cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt à natura datum: nihil enim quenquã, nisi quod libeat, præclare facere posse. In octu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere nõ posset: quaerentibusq; respõdebat, Milciadis trophæis se è somno suscitari. Cui non sunt auditæ Demosthenis uigiliæ: qui dolere se aiebat, si quãdo opificum antelucana uictus esset industria. Philosophiæ deniq; ipsius principes nunquã in suis studijs tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Vltimas terras iustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus. Vbi enim quid esset, quod disci posset, edueniendum iudicauerunt. Num putamus hæc fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse? Ipsam ægritudinem nõ sine magna utilitate à natura dicunt cõstitutam, ut homines castigationibus reprehensionibus, ignominijs affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorũ data uidetur eis, qui & ignominiam & infamiam ferunt sine dolore. Morderi est melius conscientia. Ex quo est illud è uita ductum ab Afranio. Nam cum dissolutus filius, Heu me miserum dixisset: tum seuerus pater;

Dummodo doleat aliquid, doleat quod libet.

Reliquas quoq; partes ægritudinis utiles esse

esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam, & calamitates hominum indignorum subleuandas: ipsum illud æmulari, obretare, non esse inutile, cum aut se non idem uideat cōsecutum, quod alium: aut alium idem quod se: metū uero si quis sustulisset, omnem uitę diligentiam sublatā fore, quę summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiā, qui mortem, qui dolorem timerent. Hęc tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur: euelli penitus dicāt nec posse, nec opus esse: ut in omnibus ferē rebus mediocritatem esse optimam existiment. Atq; hęc de perturbationibus in genere. Sequitur ut de iisdem speciatim dicamus: primoq; eas partiamur & definiamus: deinde orationes afferamus, quę medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur: quę omnia in 4. Tuscul. prolixē proponūtur. Ad extremum de adiunctis Voluptate & dolore differemus.

DE AFFECTVVM

speciebus.

Vtemur, inquit Cicero, in his perturbationibus describēdis Stoicorum definitionibus et partitionibus, qui mihi uidentur in hac quęstione uersari acutissimē.

rissimè. Est igitur Zenonis hæc definitio,
 ut perturbatio sit, quod *καθ' οὐδὲν* ille dicit, a-
 uersa à recta ratione contra naturam animi
 commotio. Partes autem perturbationū
 uolunt ex duobus opinatis bonis nasci, &
 ex duobus opinatis malis: ita esse quatuor.
 Ex bonis libidinem & lætitiā: ut sit læ-
 titia præsentium bonorum, libido futuro-
 rum. Ex malis metum & ægritudinem na-
 sci censent: metum futuris, ægritudinē præ-
 sentibus. Quæ enim uenientia metuuntur,
 eadem efficiunt ægritudinem instantia. Læ-
 titia autem & libido in bonorum opinio-
 ne uersantur, cum libido ad id, quod uide-
 tur bonum, illecta et inflammata rapiatur:
 lætitia, ut ad epta iam aliquid cōcupitum,
 efferatur & gestiat. Natura enim omnes ea,
 quæ bona uidentur, sequuntur: fugiunt tēp-
 contraria. Quamobrem simul obiecta spe-
 cies cuiuspiam est quod bonum uideatur,
 ad id adipiscendum impellit ipsa natura.
 Sed in singulis perturbationibus partes
 eiusdem generis plures subiiciuntur: ut æ-
 gritudini inuidentiā, æmulatio, obtrecta-
 tio, misericordia, angor, luctus, micror, æ-
 rumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, mō-
 lestia, afflictatio, desperatio. Sub metū au-
 tem subiecta sunt pigritia, pudor, terror, ti-
 mor, pauor, exanimatio, conturbatio, for-
 mido.

mido. Voluptati malevolentia letans ma-
lo alieno, delectatio, iactatio, & similia. Li-
bidini ira, excandescencia, odium, inimici-
tia, discordia, indigentia, desiderium, & cæ-
tera eiusmodi.

DE INVIDIA.

Invidia est ægritudo suscepta propter al-
terius res secundas, quæ nihil noceant
invidenti. Nam si quis doleat eius rebus
secundis, à quo ipse lædatur, non rectè di-
citur invidere: ut si Hectori Agamemnon.
Qui autem, cui alterius cõmoda nihil no-
ceant, tamen eum doleat his frui, is invidet
profecto. Invidet autem (ut est 2. de Orat.)
homines maximè paribus aut inferiori-
bus, cum se relictos sentiunt, illos autem
dolent euolasse, sed etiam superioribus in-
vident sæpè uehementer, & eò magis si in-
tolerantius se iactant, & æquabilitatē com-
munis iuris, præstantia dignitatis aut for-
tunæ suæ transeunt.

DE AEMVLATIONE.

Aemulario dupliciter dicitur, ut & in
laude & in uitio nomē hoc sit. Nam
& imitatio uirtutis æmulatio dici-
tur, sed ea nihil hoc loco utimur, est enim
laudis: & est æmulatio ægritudo, si eo quod
conspexerit, alius potiatur, ipse careat.

DE OBTRACTATIONE.

Obtrectatio, zelotypia, est ægritudo ex quo alter quoque potitur eo, quod ille ipse concupiuerit.

DE MISERICORDIA.

Misericordia est ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis: nemo enim parricidæ aut proditoris supplicio misericordia commouetur.

Angor est ægritudo premens. Luctus ægritudo ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo. Mœror ægritudo flebilis. Erumna ægritudo laboriosa. Dolor ægritudo crucians. Lamentatio ægritudo cum iulatu. Sollicitudo ægritudo cum cogitatione. Molestia ægritudo permanens. Afflictatio ægritudo cum uexatione corporis. Desperatio ægritudo sine ulla rerum expectatione meliorum. Quæ autem subiecta sunt sub metu, ea sic definiunt: Pigritiam metum consequentis laboris. Terrorem metum concutientem, ex quo fit ut pudorem rubor, terrorē pallor & tremor & dentium crepitus cōsequatur. Timorem metum mali appropinquantis. Pauorem metum mētem loco mouentis. Exanimatiōnem metum subsequentem & quasi comitem pauoris. Cōturbationem metum excutientem

cutientem cogitata. Formidinem metum permanentem. Voluptatis autem partes hoc modo describunt, ut Maleuolentia sic uoluptas ex malo alterius sine emolumento suo: Delectatio uoluptas suauitate auditus animum deliniens: & qualis est hæc auriū, tales sunt oculorum, & tactionū & odoracionū & saporum: quæ sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum tanquam illiquefactæ uoluptates. lactatio est uoluptas gestiens & se efferens insolentius. Quæ autem libidini subiecta sunt, ea sic definiūt, ut: Ira sit libido puniendi eius qui uideatur læsisse iniuria. Excandescencia autem sit ira nascens & modo existens, quæ *θυμωσις* dicitur: Odium ira inueterata: Inimicitia ira ulciscendi tempus obseruās. Discordia ira acerbior, intimo odio & corde concepta. Indigentia libido inexplebilis. Desiderium libido eius, qui nondum adsit, uidendi.

DE REMEDIIS AF-

fectuum.

Sed uideamus quanta sint, quæ à philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quædam medicina certè: nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot

res salutares, animis nullam inuenerit. De quibus est hoc etiam merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Sed quò maior est in eis præstantia & diuinior, eò maiore indigent diligētia. Itaque benè adhibita ratio cernit, quid optimum sit: neglecta multis implicatur erroribus. Earum igitur perturbationū, quas exposui, uariæ sunt curationes. Nam neque omnis ægritudo una ratione sedatur: alia est enim lugenti, alia miseranti, alia inuidenti adhibenda medicina.

ÆGRITVDINIS SANATIO.

Ipsam ægritudinem leniri uidemus, cum obijcimus inærentibus imbecillitatem animi effœminati: cumque eorum gravitatem, constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patientur. Continet etiam sedationem animi, humana in conspectu posita natura: quæ quò facilius expressa cernatur, explicanda est oratione cõmunis conditio, lexque uitæ. Itaque non sine causa cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres uersus reuocasse dicitur Socrates:

» Neque tam terribilis ulla fando oratio est,

Neque

” Neq̄ fors, neq̄ ira cœlitum inuectum malum,
 ” Quod non natura humana patiēdo ferat.

METVS REMEDIA.

Sed ægritudini finitimus est metus. Est enim metus, ut ægritudo præsentis, sic ille futuri mali. Quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam uidendum est in utrisque, ne quid humile, submissum, molle, effœminatam, fractum, abiectum quæ faciamus. Sed quanquam de ipsius metus inconstantia, imbecillitate, leuitate dicendum est, tamen multum prodest ea, quæ metuntur, ipsa contemnere. Ac de malorum opinione hætenus. Videamus nunc de bonorum, id est, de lætitia & cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quæ pertinet ad animi perturbationem, una res uidetur causam continere, omnes eas esse in nostra potestate, omnes iudicio susceptas, omnes uoluntarias. Hic igitur error est eripiendus, hæc detrahenda opinio. Atq̄ ut in malis opinatis tolerabilia, sic in bonis sedatiora sunt efficienda ea quæ magna & lætabilia dicuntur. Atq̄ hoc quidem commune malorum & bonorum: ut si iam difficile sit persuadere, nihil earum rerum, quæ perturbent animum aut in malis, aut in bonis esse habendum.

bendum, tamen alia ad alium motum curatio fit adhibenda, aliaq; ratione maleuolus, alia amator, alia rursus anxius, alia timidus corrigendus.

L A E T I T I A E R E-
media.

ATq; erat facile sequentem eam rationem, quæ maximè probatur de bonis & malis, negare unquam lætitia affici posse insipientē, quod nihil unquam haberet boni. Sed loquimur nunc more communi. Sint sanè ista bona, quæ putantur, honores, diuitiæ, uoluptates, ceteraq; tamen in eis ipsis potiundis exultans, gestiensq; lætitia turpis est. Ut si ridere concessum sit, uituperetur tamē cachinnatio. Eodem enim in uitio est effusio animi in lætitia, quo in dolore contractio: eademq; leuitate cupiditas est in appetendo, qua lætitia in fruendo: & ut nimis afflictī molestia, sic nimis elati lætitia iure dicuntur leues: & cum inuidere, ægritudinis sit; malis autem alienis uoluptatem capere, lætitiæ: utrunque immanitate & feritate quadam proponenda castigari solet. Atq; ut confidere decet, timere non decet: sic gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendī causa à gaudio lætitiā distinguimus. Illud iam

supra

supra diximus, fieri contractionem animi rectè nunquam posse, elationem posse.

CVPIDITATIS RE-
media.

VT autem turpes sunt, qui efferunt se lætitia tum, cum fruuntur ueneris uoluptatibus: sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus uerò iste qui appellatur Amor (nec hercule inuenio, quo nomine alio possit appellari) tãtæ leuitatis est ut nihil uideam quod putem conferendū: quem Cæcilius Deum putat. O præclaram emendatricem uitæ poëticam, quæ amorem flagitiij & leuitatis autorem, in cõcilio deorum collocandum putet. De Comœdia loquor: quæ si hæc flagitia nõ probarem, nulla esset omnino. Idem de Tragœdia licet dicere. Sed poëtas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio uersari ipsum uidemus Iouẽ. Ad magistros uirtutis philosophos ueniamus: qui amorem negant stupri esse, & in eo litigant cum Epicuro, non multum, ut opinio mea fert, mētiente: quis est enim amor iste amicitia? Bene igitur Ennius:
Flagitiij principium est nudare inter ciues corpora.
 Atq; ut muliebres amores omittam, quis aut de Ganymedis raptu dubitat qd poë-

ræ uelint, aut non intelligit, quid apud Eu-
 ripidem & loquatur & cupiat Laius: quid
 deniq; homines doctissimi & summi poë-
 tæ de seipsis & carminibus edāt & cātibus
 Fortis uir in sua Rep. cognitus, quæ de iu-
 uenum amore scripsit Alcæus? Nam Ana-
 creontis quidem tota poësis est amatoria.
 Maximè uerò omniū flagrasse amore Rhe-
 ginum Ibicum, apparet ex scriptis. Atque
 horum omnium libidinosos esse amores
 uidemus. Philosophi sumus exorti, (& au-
 tore quidē nostro Platone, quem non iniu-
 ria Dicæarchus accusat) qui amori autori-
 tatem tribueremus. Stoici uerò & sapien-
 tem amaturum esse dicunt, & amorem i-
 psum, conatum amicitiaë faciendæ ex pul-
 chritudinis specie definiunt: qui si quis est
 in rerū natura sine sollicitudine, sine deside-
 rio, sine cura, sine suspirio, sit sanè; uacat em̄
 omni libidine: hæc autē de libidine oratio
 est. Sin aut̄ est aliquis amor, ut est certe, qui
 nihil absit, aut nō multū ab insania, ei hæc
 adhibēda est curatio, ut ostendatur, quod
 is qui sic affectus est cupit, quàm leue, quàm
 cōtemnendū, quàm nihil sit omnino, quàm
 facile uel aliunde, uel alio modo perfici uel
 omnino negligi possit. Adducendus est
 etiam nonnunquam ad alia studia, solici-
 tudines, curas, negotia: loci deniq; muta-
 tione,

tionem, tanquam ægroti non conualescentes, sæpè curādus est. Etiam nouo quodam amore ueterem amorem tanquam clauo clauum eijciendum putāt. Maxime autem admonendus, quantus sit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla uehementior: ut, si iam ipsa illa accusare nolis, supra dico & corruptelas & adulteria, incesta denique, quorum omnia accusabilis est turpitudine: sed ut hæc omittamus, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se est. Nam ut illa præteream, quæ sunt furoris: hæc ipsa per sese quam habent leuitatem, quæ uidentur esse mediocria?

» — *Iniuria,*

» *Suspiciones, inimicitia, inducia,*

» *Bellum, pax rursus.*

Hæc incōstantia, mutabilitasq; mentis quæ non ipsa prauitate deterreat: Est etiam illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi uoluntariam. Etenim si naturalis amor esset, et amarent omnes & amarentur & semper amarent & idem amarent, neq; alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterret.

IRAE REMEDIA.

IRa uerò quanquàm diu perturbat animum dubitationem insanie non habet: cuius impulsu existit etiam inter fratres iurgium. Quid est enim quò non progrediatur eodem ira, quò furor. Itaque iratos propriè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente: horum enim potestas in totum animum esse debet. His autem sunt subtrahēdi, in quos impetum conantur facere, dum seipsi colligant (quid est autem seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locū cogere?) aut rogādi sunt, orandīq; ut si quam habent ulciscendi uim, differāt in tempus aliud, dum deferuescat ira. Deferuescere autem certè significat ardorem animi inuita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur Architzæ, qui cum uillico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? Vbi sunt ergo istī qui iracundiam utilem dicunt? potest utilis esse insanīa? At naturalis est. An quicquam potest esse secundum naturā, quod sit repugnante ratione? quo modo autem, si naturalis esset ira, aut aliis alio magis iracundus esset, aut finem haberet prius quàm esset ulta, ulciscendi libido, aut quenquàm poeniteret

ceret quod fecisset per iram? ut Alexandrū Regem uidemus: qui cū interemisset Clytum familiarem suum, uix à se manus absti-
nuit: tanta uis fuit poenitendi. Quibus cog-
nitis, quis est qui dubitet, quin hic quoq; motus animi sit totus opinabilis ac uolun-
tarius? quis enim dubitarit, quin ægrota-
tiones animi (qualis est auaritia gloriæ cu-
piditas) ex eo quod magni æstimetur ea-
res, ex qua animus ægrotat, oriantur? Vn-
de intelligi debet, perturbationem quoq; omnem esse in opinione. Qui autem natu-
ra dicuntur iracundi, aut misericordes, aut inuidi, aut tale quid, ñ sunt eiusmodi con-
stituti, quasi mala ualetudine animi, sana-
biles tamen, ut Socrates dicitur, cum mul-
ta in conuentu uitia collegisset in eum Zo-
pyrus, qui se naturā cuiusq; ex forma per-
spicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate uitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate subleuatus est, cum illa sibi uitia inesse, sed ratione à se deiecta diceret. Ergo ut optima quisq; ualetudine affectus, potest uideri alius, ut natura ad ali-
quem morbū procliuior: sic animus alius ad alia uitia propensior. Qui autem nō natura, sed culpa uitiosi esse dicuntur, eorum uitia constant ex falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum, ut sit alius ad alios

motus perturbationesq; procliuior. Inueteratio autem ut in corporibus ægrius depellitur, sic in animis quoq; perturbatio: citiusq; repentinus oculorum tumor sanatur, quàm diuturna lippitudo depellitur. Sed fit iam huius disputationis modus. Adiuncta perturbationum supersunt, Voluptas & Dolor.

DE VOLVPTATE.

Omne animal, simulatq; natum est (uti de Finib. est) uoluptatem appetit eaq; gaudet ut summo bono dolorem aspernatur ut summum malum & quantum potest à se repellit, idq; facit nondum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante. Itaq; non opus est ratione aut disputatione, quamobrem uoluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentitur hoc ut calere ignem, niuem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportet exquisitis rationibus confirmare, tantum satis est admonere. Interest enim inter argumentum conclusionemq; rationis & inter mediocrem animaduersionem atq; admonitionem. Altera, occulta quædam & quasi inuoluta aperiantur: altera prompta & aperta indicantur. Explicandum autem est, uoluptas ipsa que, qualisq; sit, ut tollatur error omnis imperitorum,

peritorum, intelligaturque ea quæ uoluptaria, delicata, mollis habetur disciplina, quæ grauis, quam continens, quam seuera sit. Non enim hanc solam intelligimus, quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iocunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam illam uoluptatem habemus, quæ percipitur honestis e rebus. Itaque utilis & ad bene uiuendum apta partitio est illa qua est usus Epicurus: qui unum genus posuit earum cupiditatum, quæ essent & naturales & necessariae: alterum, quæ naturales essent, nec tamen necessariae: tertium, quæ nec naturales nec necessariae. Quarum ea ratio est ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur. Ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod ipsa natura diuitias, quibus contenta est, & parables & terminatas habet. Inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inueniri potest. Quod si uitam omnem uidemus perturbari errore et insipientia, sapientiamque esse solam, quæ nos à libidinum impetu & formidinum terrore uindiceret, & ipsius fortunæ immodicè ferre doceat iniurias, & omnes doceat uias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferant: quid est, cur dubitemus dicere, & sapientiam propter uoluptatem expetendam, & insipientiam

tiam propter molestias esse fugiendā & Eademq; ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat, et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, rationem ut sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare quid faciendum, non faciendumue sit, sed stare etiam oportet in eo quod sit iudicatum. Pleuricq; autē quod tenere atq; seruare id quod statuerunt, non possunt, uicti & debilitati, obiecta specie uoluptatis tradūt se libidinibus constringendos, nec quid prouenturum sit prouidēt: ob eamq; causam propter uoluptatem & paruam & non necessariam & quæ uel aliter pararetur, & quæ etiā carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt: sæpè etiā legum, iudiciorūq; pœnis obligantur. Qui autem ita frui uolunt uoluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur, & qui suum iudicium retinēt, ne uoluptate uicti faciant id quod sentiunt non esse faciendum: hi uoluptatē maximā adipiscuntur prætermittenda uoluptate. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se fugiendam, nec temperantiam propter se expetendam esse. Eadem

dem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio, neque perpessio dolorum per seipsa allicit, nec patientia, nec assiduitas, nec uigiliae, nec ea ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem: sed ista sequimur, ut sine cura, metuque uiuamus, animumque & corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quiete uite status perturbatur, & ut succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque ferre, miserum est: ob eaque debilitatem animi, multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem seipsos penitus perdidērūt: sic robustus animus & excelsus omni est liber cura & angore, cum & mortem cōtemnit, qua qui affecti sunt, in eadē causa sunt qua antequam nati: & ad dolores ita paratus est, ut meminerit maximos morte finire, paruos multa habere interualla quietis, mediocrium nos esse dominos, ut si tolerabiles sint, feramus: sin minus, æquo animo è uita, cum ea non placeat, tanquam è teatro exeamus. De iustitia similia ferè dici possunt: quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed cōtra semper alit aliquid tum ui sua atque natura, quod tranquillet animos: tum spe, nihil earum rerum defuturū, quas natura deprauata desiderat. Itaque

ne

ne iustitiam quidem rectè quis dixerit per seipsam optabilem, sed quia iucunditatis uel plurimum afferat. Nam diligere & charum esse iucundum est, propterea quia tutiorem uitam & uoluptatem efficit plenior. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eueniunt improbis, fugiendum improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod cuius in animo uersatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere. Atque haec de honesta uoluptate. De turpi uero uoluptate grauius. Cato in libello de Senectute loquitur. Nam cum uituperetur senectus, quod ea carere dicatur uoluptatibus: O praclarum munus aetatis: inquit, siquidem id aufert nobis, quod est in adolescentia uitiolosissimum. Accipite enim ueterem orationem Archiae Tarentini, magni in primis & praecleari uiri. Nullam capitaliorem pestem quam corporis uoluptatem, hominibus dicebat à natura datam: cuius uoluptatis auidae libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae perditiones, hinc Rerum. euerfiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat: nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido uoluptatis impelleret. Stupra uero, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris

lecebris excitari, nisi uoluptate. Cumq̄ ho-
 mini siue natura, siue Deus nihil mente
 præstabilius dedisset, huic diuino muneri
 ac dono nihil tam esse inimicum quàm uo-
 luptatem. Nec enim libidine dominante
 temperantię locum esse omnino, nec in uo-
 luptatis regno uirtutem posse consistere.
 Quod quò magis intelligi posset, fingere
 animo aliquem iubebat, tanta incitatum
 uoluptate corporis, quanta percipi posset
 maxima: nemini censebat fore dubium,
 quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agi-
 tare mente, nihil ratione, nihil cogitatione
 consequi posset. Quocirca nihil tam dete-
 stabile, tamq̄ pestiferum, quàm uolupta-
 tem. Siquidem ea cum maior esset atq̄ lon-
 gior, omne animi lumen extingueret. Hęc
 cum C. Pontio Samnite patre eius à quo
 in Caudino prælio Sp. Posthumius & T.
 Veturius iterum Cols. superati sunt, locu-
 tum Architam Nearchus Tarentinus ho-
 spes noster se à maioribus natu accepisse
 dicebat: cum quidem ei sermoni interfuis-
 set Plato Atheniensis. Quorsum hæc? ut
 intelligamus, uoluptatem aspernandam
 ratione & sapientia. Impedit enim consi-
 lium uoluptas rationi inimica, ac mentis
 (ut ita dicam) perstringit oculos, nec habet
 ullum cum uirtute commercium. Inuitus
 quidem

quidem feci, ut fortissimū uiri T. Flaminij fratrem L. Flaminium à Senatu eijcerem septem annis, postquam Coss. fuisset, sed notandā libidinem putauī. Ille enim, cum esset Coss. in Gallia, exoratus est in conuiuio à scorto ut securi feriret aliquem eorū, qui in uinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre suo Censore (qui proximus ante me fuerat) elapsus est: mihi uerò & Flacco neutiquām probari potuit tam flagitiosa & perdita libido, quæ cum probro priuato coniungeret imperij dedecus. Sæpe à maioribus natu audiui, qui se porro pueros à senibus euiduisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod cum apud Regem Pyrrhum legatus esset, audisset à Thessalo Cineā Athenis quendam fuisse, qui se sapientem profiteretur, eumq; dicere, omnia quæ faceremus, ad uoluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes M. Curium & T. Corumcanum optare solitos ut id Samnitibus, ipsiq; Pyrrho persuaderetur, quod facilius uinci possent, cum se uoluptatibus dedissent. Qui ex sua uita iudicabāt esse profecto aliquid natura pulcrum atq; præclarum, quod sua sponte peteretur: quodq; spreto & contempta uoluptate optimus quisq; sequeretur. Hæc Cato in libro de Senectute, ubi etiam honesta

Ita quædam genera uoluptatis recenset, ut modica cõuiuia, delectationem sermonis, agriculturam.

DE DOLORE.

P Rinceps philosophorum & autoritate & antiquitate Socraticus Aristippus non dubitauit summum malum dolorem dicere. De hinc ad hanc eneruatã, muliebremq; sententiam satis docilem se Epicurus præbuit. Qui tamen affirmat quodam in loco, si uratur sapiens, si crucietur: expectas fortasse dũ dicat, patietur, perferet, non succumbet: magna me hercule laus & eo ipso, per quem iurauit, Hercule digna: sed Epicuro homini aspero & duro non est hoc satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet quã suauẽ est hoc? quã hoc non curo? Ille dixerit sanẽ idem in Phalaridis tauro, quod si esset in lectulo. Ego tantam uim non tribuo sapientiæ cõtra dolorem: si forte in perferendo, officio satis est: ut letetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum, tolerandumq; difficilis. Aspice Philoctetam: cui concedendum est gementi: ipsum enim Herculem uiderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem. Nihil igitur hunc uirum sagittæ, quas ab

s Hercule

Hercule acceperat, tum consolabantur,

» *Cum è uiperino morſu uenæ uiſcerum*

» *Veneno imbutæ tetros cruciatus eierent.*

Sed uideamus Herculem ipſum, qui tū dolore frangebatur, cum immortalitatē ipſa morte quærebat: quas hic uoces apud Sophociem in Trachinijs editæ: cum Deianira ſanguine Centauri tinctā tunicam induiſſet, eaq; uiſceribus inhaſiſſet? Poſſum ne nos contemnere dolorem, cum ipſum Herculem tam intoleranter dolere uideamus? Veniat Aeſchylus non poëta tantum, ſed etiam Pythagoreus: ſic enim accepimus. Quomodo fert apud eū Promotheus dolorem, quem excipit ob furtū Lemnium? Vix igitur poſſe uidemur ita affectum nō miſerum dicere. Sed uides ne, poëtae quid mali afferant? lamentantes inducunt fortiffimos uiros: molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, ut non legantur modo, ſed etiam edifcantur: Sic ad malam domeſticam diſciplinam, uitamq; umbratilem & delicatam cum acceſſerūt etiam poëtae, neruos omnes uirtutis elidunt. Recte igitur à Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos & optimum Reip. ſtatum exquireret. At uerò nos, docti ſcilicet à Græcia, hæc & à pueritia legimus & didicimus, hæc eruditionem

libe-

liberalem & doctrinā putamus. Sed quid
 poëtis irascimur? uirtutis magistri philo-
 sophi inuenti sunt, qui summum malum
 dolorem dicerent. Verum enim uerò non
 tam quærendum est, dolor malum'ne sit:
 quàm firmandus animus ad dolorem fe-
 rendum. Concludunt ratiunculis Stoici,
 cur non sit malum: quasi de uerbo, non de
 re laboretur. Illud & melius & uerius: o-
 mnia quæ natura aspernatur, in malis esse:
 quæ asciscit, in bonis. Hoc posito & uer-
 borum concertatione sublata, tantum ex-
 celledet uirtus, ut omnia præter ea, quæ bona
 corporis & fortunæ putātur, perexigua &
 minuta uideantur, nec malum quidem ul-
 lum, nec, si in unum locum collata omnia
 sint, cum turpitudinis malo comparanda.
 Quare si turpitude peius est quam dolor:
 nihil est planè dolor. Nam dum tibi turpe,
 nec dignum uiro uidebitur gemere, eiula-
 re, lamentari, frangi, debilitari, dolere: tum
 dignitas, tum decus aderit, tuquæ in ea in-
 tueberis, te continebis: cedit profecto uir-
 tuti dolor, & animi inductione læguescet.
 Aut enim nulla uirtus est, aut contemnen-
 dus est omnis dolor. Prudentiam ne uis
 esse, sine qua ne intelligi quidem ulla uir-
 tus potest? Quid ergo? ea patietur'ne te
 quicquam facere nihil proficientem & la-
 borantem?

borantem? An temperantia sinet te immoderatè facere quicquàm? An coli iustitia poterit ab homine propter uim doloris enunciante commissa, prodente conscios, multa officia relinquente? Quid, Fortitudini, comitibusq; eius, magnitudini animi, grauitati, paciētiae, rerum humanarum despicientiae quomodo respondebis? afflitus ne & iacens & lamētabili uoce deplorans, audies, O uirum fortem? te uerò ita affectum ne uirum quidem dixerit quisquam. Amittenda igitur fortitudo est, aut sepeliendus dolor. Non ego dolorem, dolorem esse nego. Cur enim fortitudo desideraretur? sed eum opprimi dico patientia, si modò est aliqua patientia: si nulla est, quid exornamus philosophiam? aut quid eius nomine gloriosi sumus? Pungit dolor, uel fodiat sanè. Si nudus es, da iugulum: sin tectus Vulcanijs armis, id est, fortitudine, resiste. Hæc enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet & deseret. Creatum quidem leges, quas siue Iupiter, siue Minos sanxit de Iouis quidem sententia, ut poëte ferunt: itemq; Lycurgi, laboribus erudiunt iuuentutem, uenando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartaë uerò pueri ad aram sic uerberibus accipiuntur, ut multus è uisceribus sanguis exeat,

exeat, nonnunquam etiam, ut cum ibi essem audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamauit unquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo hoc pueri possunt, uiri non poterunt? & quod mos ualeat, ratio non ualebit? Itaque illi, qui Græciæ formam Rerump dederunt, corpora iuuenum firmari labore uoluerunt: quod Spartiæ etiam in scæminas transtulerunt: que ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris oculuntur. Illi autem nihil uoluerunt horum simile esse apud Lacænas uirgines: quibus magis palaestra, sol, puluis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara. Ergo his laboriosis exercitationibus & dolor intercurrit nonnunquam, impelluntur, feriuntur, abijciuntur, cadunt: & ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori. Militiam uerò nostram dico, non Spartiatarum quorum procedit ad modum, ad tibiã, nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus adhortatio. Nostri exercitus primum unde nomen habeant, uides: deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad usum uelint: ferre uallum. Nam scutum, gladium, galeã in onere nostri milites non plus numerant, quã humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt:

dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, ut si usus foret, abiectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum: quid ille cursus, clamor, quanti laboris est? ex hoc ille animus in prælijs paratus ad uulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem: mulier uidebitur. Cur? tantum interest inter nouum & ueterem exercitum. Aetas tyronum plerumq; melior: sed ferre laborem, contemnere uulnus, cōsuetudo docet. Quin etiam uidemus ex acie efferrī sæpè saucios, & quidem rudem illū & inexercitatum, quamuis leui ictu ploratus turpissimos edere. At uerò ille exercitatus & uetus, ob eamq; rem fortior, medicū modò requirit à quo obligetur. Ergo hæc ueteranus miles facere poterit: doctus uir sapiensq; non poterit. Ille uerò melius, ac non paulò quidem. Sed de cōsuetudine adhuc exercitationis loquor, nondum de ratione & sapientia. Aniculi sæpè in ediam biduum aut triduum ferunt, subduc cibum unum diem athletæ: Iouem Olympium eum ipsum, cui se exercabit, implorabit: ferre nō posse clamabit. Cōsuetudinis magna uis est. Pernoctant uenatores in niue: in montibus uri se patiuntur. Inde pugiles cestibus contusi, ne ingemiscunt quidē. De exercitatione & cōsuetudine

suetudine & commentatione dixi. Agelis nunc de ratione uideamus. Si ne igitur malum dolor, nec ne, Stoici uiderint, qui contortulis quibusdam ac minutis conclusionibus, nec ad sensus permanentibus, effici uolunt non esse malum dolorem. Ego illud, quicquid sit, tantum esse, quantum uideatur, non puto. Vnde igitur ordiar? an eadem breuiter attingam, quæ modo dixi, quo facilius oratio progredi possit longius? Inter omnes igitur hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiã indoctos, uirorum esse fortium & magnanimorum & patientium & humana uincantium, toleranter dolorem pati. Nec uerò quisquam fuit, qui eum qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo & postulatur à fortibus & laudatur, cum sit, id aut extimescere ueniens, aut non ferre præsens, nonne turpe est. Atqui uide, ne cum omnes rectæ animi affectiones uirtutes appellentur, non sit hoc proprium nomē omnium, sed ab ea una, quæ cæteris excellat, omnes nominata sint. Appellata est enim à uiro uirtus: uiri autem propria maximè est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt: mortis dolorisq; cōtempitio. Utendum est igitur his, si uirtutis compotes, uel potius si uiri uolumus esse: quoniam à uiris uirtus

nomen est mutuata: quæ loquetur ipsa tecum: Tu ne cū pueros Lacedæmone, adolescentes Olympiæ, barbaros in arena uideris excipientes grauissimas plagas, & ferentes silentio, si te fortè dolor aliquis peruellerit, exclamabis ut mulier? nō constanter & sedatè feres? Ferri non potest: natura non patitur: Audio. Pueri ferunt gloria ducti, ferunt pudore alij, multi metu: & tamen ueremur, ut hoc quod à tam multis et quod tot lotis perferatur, natura non patiatur? Illa uerò non modo patitur, uerum etiam postulat: Nihil enim habet præstantius, nihil quod magis experat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatē, quam decus. Atq; ut hæc de honesto, sic de turpi cōtraria: nihil tam tetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius. Quod si tibi persuasum est, reliquum est ut tute tibi imperes. Quanquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat: non in scitè tamen dicitur. Est enim animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cū igitur præcipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Est in animis omnium ferè natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatum

quodam

quodam modo & languidū. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius. Sed præsto est domina omnium & regina ratio, quæ connixa per se & progressa longius, sit perfecta uirtus. Hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id uidentum est uiro. Quonam modo, inquires? Velut seruo dominus, uelut Imp. militi, uelut parens filio. Si turpissimè se illa pars animi geret, quā dixi esse mollem: si se lamentis muliebriter, lacrymisq; dedit, uinciat & constringatur amicorū, propinquorumq; custodijs. Sæpè enim uidemus fractos pudore, qui ratione nulla uincerentur. Ergo hos quidē, ut famulos, uinclis ac custodia arceamus. Qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi, hos admonitu simili oportebit, ut bonos milites reuocatos dignitatem tueri. In quo autem uiro erit perfecta sapientia (quæ adhuc nos quidem uidemus neminem: sed philosophorum sententijs, qualis futurus sit, si modò aliquādo fuerit, exponitur) is igitur siue ea ratio, quæ erit in eo perfecta atq; absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus parens probis filijs: nutu quod uolet conficiet, nullo labore, nulla molestia: eriget ipse sese, suscitabit, instruet, armabit, ut tanquàm hosti sic obsistat dolori. Quæ sunt

ista

ista arma: contentio, confirmatio, sermoq;
 intimus, cum ipse secum, caue turpe quic-
 quam, languidum, non uirile: obuersentur
 species honestæ animo. Zeno proponatur
 Eleates, qui perpeffus est omnia potius q̄
 conscios delendæ tyrannidis indicaret. De
 Anaxarcho Democritio cogitetur: qui cū
 in manus Cyprij Nico creontis regis inci-
 disse, nullum genus supplicij deprecatus
 est, neque recusauit. Calanus Indus, indo-
 ctus ac barbarus, in radicibus Caucasi na-
 tus, suā uoluntate uiuus cōbustus est. Nos
 si pes condoluit, si dens, sed fac totum do-
 lere corpus, ferre non possumus. Opinio
 est enim quædam effceminata ac leuis, nec
 in dolore magis quàm eadem in uoluptate,
 qua cum liquescimus, fluimusq; molli-
 cia, apis aculeū sine clamore ferre non pos-
 sumus. Totum igitur in eo est ut tibi impe-
 res: atq; hæc cogitatio, quid patientia, quid
 fortitudine, quid magnitudine animi di-
 gnum sit, non solum animum comprimit,
 sed ipsum etiam dolorem nescio quo pa-
 cto mitiorem facit. Vt enim sit in prelio, ut
 ignauus miles, ac timidus, simul ac uiderit
 hostem, abiecto scuto fugiat quāsum pos-
 sit, ob eamq; causam pereat nonnunquam
 etiam integro corpore, cum ei qui steterit,
 nihil tale euenerit; sic qui doloris speciem
 ferre

ferre non possunt, abijciunt se atq; ita afflicti & exanimati facent: qui autem resisterunt, discedunt sapissimè superiores: sunt enim quædam animi similitudines cum corpore. Ut onera cõtentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: similimè animus intentione sua depellit presum omnem põderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. Et, si uerum quærimus, in omnibus officijs persequendis animi est adhibenda cõtentio: ea est sola officij tanquàm custodia. Sed hoc quidem in dolore maximè est prouidendum, ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ignauè, ne quid seruiliter, muliebriterie faciamus, in primisq; refutetur ac reijciatur Philoctereus ille clamor. Ingemiscere nonnunquam uiro cõcessum est, idq; raro: eiulatus ne mulieri quidem: & hic nimirum est fletus, quem XII. tabulæ in funebribus adhiberi uetuerunt. Nec uerò unquã ne ingemiscit quidem uir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem. Atque hoc præceptũ, quod de dolore datur, patet latius: omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. Ira exardescit, libido concitatur: in eandem arcem confugiendum est, eadem sunt arma sumenda. Sed quoniam
de

de dolore loquimur, illa omittamus. Ad ferendum igitur dolorem placidè & sedatè, plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare quàm id honestum sit. Sumus enim natura studiosissimi appetentissimiq; honestatis. Cuius si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est quod, ut eo potiamur, non parati simus & ferre & perpeti. Ex hoc cursu atq; impetu animorum ad ueram laudem atq; honestatem illa pericula adeuntur in prælijs. Non sentiunt uiri fortes in acie uulnera: uel sentiunt, sed mori malunt quàm tantillum modo de dignitatis gradu dimoueri. Fulgètes gladios hostium uidebant. Decij, cum in aciem eorum irruerent. His leuabat omnem uulnorum metū nobilitas mortis et gloria. Numtum ingemuisse Epaminōdam putas, cum unà cum sanguine uitam effluere sentiret? Imperantem enim patriam Lacedæmonijs relinquebat, quam acceperat seruientem. Hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum dolorum. Dices, quid in pace? quid domi? quid in lectulo? Ad philosophos me reuocas, qui in aciem nō sæpè prodeunt. E' quibus homo sanè leuis Heracleotes Dionysius, cū à Zenone fortis esse didicisset, à dolore deuictus est. Nam cum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamabat, falsa esse illa,

illa, quæ antea de dolore ipse sensisset. Quæ cum Cleanthes cōdiscipulus rogaret, quænam ratio eum de sententia deduxisset, respondit, quia cum tantum operæ philosophiæ dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumēti, malum esse dolorem: tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, uersum ex Epigonis dixisse serunt,

» *Audis'ne hæc Amphiaræ sub terram abdite?*
 Zenonem significabat: à quo illum degenerare dolebat. At nō noster Possidonius: quem & sæpè ipse uidi & id dicā quod solebat narrare Pompeius: se, cum Rhodum uenisset decedens ex Syria, audire uoluisse Possidonium: sed cum audiuisset eum grauius esse ægrum, quòd uehementer eius artus laborarent, uoluisse tamen nobilissimum philosophum uisere: quem ut uidisset et salutauisset, honorificisq; uerbis prosecutus esset, molesteque se dixisset ferre, quòd eum non posset audire: at ille: Tu uerò, inquit, potes: nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tātus uir ad me uenerit. Itaq; narrabat eum grauius & copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset cubātem disputasse: cumq; quasi faces ei doloris admouerentur, sæpè dixisse, Nihil agis dolor, quamuis
 sis

sis molestus, nunquam te esse cōfitebor ma-
 lum. Omninoq; omnes clari & nobilitati
 labores, contemnendo fiunt etiam tolera-
 biles. Videmus ne apud quos uenandi &
 equitandi laus uiget, nullum ab his qui
 hanc petessunt, deuitari laborem? Quid de
 nostris ambitionibus, quid de cupiditate
 bonorum loquar? quæ flamma est per quā
 non currerint ij, qui hæc olim punctis sin-
 gulis colligebant? Itaq; semper Africanus
 Socraticum Xenophontem in manibus
 habebat: cuius in primis laudabat illud
 quod diceret, eosdem labores nō esse æquē
 graues imperatori & militi, quod ipse ho-
 nos laborem leuiorem faceret imperato-
 rum. Hoc igitur tibi propone, amplitudi-
 nem & quasi quandam exaggerationem
 quā altissimam animi, quæ maxima emi-
 net contemnendis & despiciendis dolori-
 bus, unam esse omnium rem pulcherrimā,
 eorū pulchriorem si uacet populo, neque
 plausum captans se tantum ipsa delectet.
 Quin etiam mihi quidem laudabiliora ui-
 dentur omnia, quæ sine uenditatione & si-
 ne populo teste fiunt: non quò fugiendus
 sit (omnia enim benefacta in luce se collo-
 cari uolunt) sed tamen nullum theatrum
 uirtuti conscientia maius est. Atq; in pri-
 mis meditemur illud, ut hæc patientia do-
 lorum,

lorum, in omni genere se æquabilem præbeat. Sæpè enim multi qui aut propter uictoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ, aut etiam ut ius suum & libertatem tenerent, uulnera exceperunt fortiter & tulerunt: ijdem omiſſa contentione dolorem morbi ferre non poſſunt: neq; enim illum quem facile tulerant, ratione aut ſapientia tulerant, ſed ſtudio potius & gloria. Itaque barbari quidam & immanes ferro decertare acerrimè poſſunt, ægrotare uiriliter non queunt. Græci autem homines non ſatis animoſi, prudentes ſatis, hoſtem aſpicere non poſſunt, ſed ijdem morbos toleranter atq; humanè ferunt. At Cimbri & Celtiberi in prælio exultant, lamentantur in morbo. Nihil enim poteſt eſſe æquabile, quod nõ à certa ratione proficiſcatur. Quæ meditare quæſo dies & noctes: latius enim manabit hæc ratio & aliquanto maiorem locum, quam de uno dolore occupabit. Nam ſi omnia fugiendæ turpitudinis, adipiſcendæq; honeſtatis cauſa faciemus, non modo ſtimulos doloris, ſed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit.

LIB.